

21.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**ABVSV ET INEFFICACIA**  
**TERREORVM**

QVAM  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
AVTORITATE

SVB DECANATV  
VIRI EXCELLENTISSIMI

**CAROLI AVGVSTI a BERGEN**

PRO GRADV DOCTORIS

ET PRIVILEGIIS HVIC DIGNITATI COMPETENTIBVS  
LEGITIME OBTINENDIS

IN REGIA VIADRINA  
PLACIDAE ERVITORVM DISQVISITIONI  
SVBMITTET

**FERDINAND ERNST LVDECI**

IGLAVIENSIS MORAVVS

MDCC XLIII. DIE VII. NOVEMBRIS

---

20

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,  
Litteris PHILIPPI SCHWARTZII, ACAD. REG. TYP.

DIESCHRITATO IN VAGARIA MEDICAE  
ANNA ET HINCAGY  
TERRÆORVM  
GRATIOSI MEDICORVM ORPIS  
AUTORITATIS  
SVA PECANITA  
NIRIS RUGES ANTISTITVM  
CÆRIGO VAGAS HÆREGEN  
PRO CÆRIGO DOCTORIS  
HERCINIANUS ERNST LADIGI  
MDCCLXII DE ALZOLANDRI  
EPILOGUS VAGARIA MEDICAE  
TERRÆORVM VAGARIA MEDICAE

VIRO  
ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
CHRISTIANO  
de BRAND.  
AVGVSTISSIMI BORVSSORVM REGIS  
BELL ET STATVS  
ADMINISTRO.  
SVMMI RERV M SACRARVM DICASTERII  
ET  
ECCLESIARVM REFORMATARVM DIRECTORII  
PRAESIDI  
REGIARVM ACADEMIARVM  
CVRATORI PRIMARIO.  
CAVSAR V M GALLICAR V M  
NEC NON  
GYMNASI IOACHIMICI ET MONTIS PIETATIS  
DIRECTORI.  
HAEREDITARIO IN WVDZIG, HERMSDORFF,  
LIPKE, GRAHLOW, POLLICHEN. RELIQUA.



ALBO  
MUTATIONE ET ALIIS INVENTIS  
DONINO  
CHRISTIANO  
e BRAND  
YAGASSEUM DOLUSORVM REICIS  
ANALYSTA  
ADMIRATIO  
SUMMERIA TERRAM MONTIBVS  
EGERTONIANA MURIBVS  
PHAEZIUS  
REGIAZIUS GARDINIANUS  
CARTARIUS PIRATA  
GALLARIA CALIFORNIA  
GALVANIA FERDINANDINA  
DIRFOTOM  
HEDIDITRIU ET HEDIDITRI  
HEDIDITRIU ET HEDIDITRI  
HEDIDITRIU ET HEDIDITRI

VIRO  
ILLVSTRI  
EXPERIENTISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
DOMINO  
**IOANNI THEODORO**  
**ELLERO.**  
POTENTISSIMI REGIS BORVSSORVM  
CONSILIARIO AVLICO.  
PERSONAE REGIAE  
NEC NON  
COHORTIVM BELLICARVM  
MEDICO PRIMARIO.  
SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARVM  
ET  
COLLEGII MEDICO-CHIRVRGICI BEROLINENSIS  
DIRECTORI.  
SVPREMI MEDICORVM COLLEGII  
DECANO.  
SOCIETATIS NATVRAE CVRIOSORVM  
ATQUE  
COLLEGII SANITATIS  
MEMBRO.

Dissertationem hanc inauguralem ea,  
qua debet religione, pietate & cultu  
sacram cupit

Autor.

ALIO  
EXPERIMENTISQ. A TONE DOCUMENTO  
DOMINO  
IOANNI THEODORO  
ELFFERO  
POTESTASIN REGIS DORASSORVM  
CONSTITUTIO PAVLO  
PERSONAE REGIE  
NEGO NON  
CONSTITUTIO PAVLO  
MEDICO PRIMARIO  
SOCIETATIS REGIAE SCIENTIAVM  
COLLEGI MEDICO-CHIRURGICI FEDOTINENSIS  
DIRECTORI  
SAPRIMI MEDICORVM COLLEGII  
DECANO  
SOCIETATIS NATVRAE CARIOLOGVM  
COLLEGI SANITATIS  
MELIBRO.  
Diligentissimum hunc instrumentum  
dico quod est iustificione, biceps & capite  
vulnus capere  
Tutor

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
TERREORVM ABVS<sup>V</sup> ET INEFFICACIA.

## I.

**Q**uemadmodum incrementa artis salutaris in sui perfectionem nihil evexit felicius atque securius, ac quidem experimenta cerebrius & attente instituta, observationesque accuratiori ratiocinio suffulta, indefessaque studio collectae; ita nihil magis eidem obfuit, nihilque rationalem medendi methodum labefactavit magis, ac evanidæ hypotheses, præjudiciis superstructæ atque fabellis, nec non experimentorum chymicorum minus apta sane analogia cum functionibus humanæ fabricæ, quasi assuntis, sive alimentis, sive medicamentis, idem obtingeret in corpore humano, quod violentissima ignis flamma, seu coctione, seu calcinatione chymica ope producitur in furnis, crucibulis atque retortis. Ita vituperatur usus ovorum ceu nocentissimus; dum ova recentissima testis exclusa, phiolæ commissa, ignis instrumento primum aquosum humorem, mox oleum crassum, tenacius, reliquias tandem exustas, nigricantes, in fundo subsidentes, spectandas præbent. Bellus sane experimentandi modus! ergone eadem ventriculi actio in sui contenta, ac summa in quiete persstantis phiolæ? ergone calor ventriculi æquiparabitur ignis chymici vehementia? ergone in ventriculo solitaria permanent esculenta? ergone in eodem similis fluidorum a solidis separatio, veluti ope instrumenti chymici? Certe blandus

A

blandus ventriculi calor, motus ejusdem perpetuus, liquor gastricus sat copiosus, assumtorum succi huic permixti, bilis deinde atque humoris pancreatici admistio, aliud docent. Accessit tandem nimia, eaque anilis credulitas de plurium remediorum conficta virtute & efficacia, de quibus optandum est, ut meritis inclaruissent, non superbo nomine. Non enim absque indignatione & legitur & auditur impudentissima audacia, in artis pulcherrimae maximum opprobrium, medicinas cælestes, divinas, aureas, polychrestas, universales, specifica, arcana, balsama vitae, mirabilia, ungventa atque emplastræ miraculosa divulgari. Tot namque hujuscemodi nominis medicamenta usu tyranno in medicinam inducta sunt, ut attentius ea consideranti dubium subnascatur, serione an jocose scripserint autores. De simplicium qualitatibus, plantarum quarundam similitudine cum partibus corporis humani, ac inde præsumpta virtute medicamentosa contra morbos, plura cum Plinio, animalium fabellarum conditore nugacissimo, olim perscripsere judicio & arte egeni: subsequente deinde superstitionum sæculorum tyrannide, vix nomina suffecere, quibus nudam pauperiem mentita, medicamentorum virtutis palliarent pseudomedici. Hæcque fingendi turpissima licentia nondum expiravit! quot enim monstrosa nomina audias in officinis atque practicorum libris! mirum profecto, homines alioquin graves, in re seria nugari posse. Et si quandoque figmentis species acceperit veritatis, ea certe futilis est atque ridicula. Omnia vero fidem se impetraturos autumant consimilium Patroni, dum asseverare non erubescunt, se experientia saepius repetita, longoque tempore confirmata, narratiuncularum suarum veritatem & certitudinem edoctos esse, artem experiendi prorsus nescientes.

Longam

Longam seriem veterum opinionum perscribere valerem;  
 at etiam moderno seculo, accensis veritatis luminibus, vo-  
 lentes cæutiunt quidam, & fabulis delectari malunt, ob-  
 scurarumque vocum fragmentis, præjudiciis & autoritate se-  
 ducti prisorum. Pauca saltē adjicere liceat, quorum qui-  
 dem rationes operandi vix hujus esse ævi præsumendum  
 putem, attamen usus præjudiciis & consuetudini insistere  
 videtur. Ita nimirum asarum inter diuretica veneratur,  
 propter foliorum figuram reniformem. Euphrasia oculo-  
 rum opitulari legitur affeetibus, quod oculi qualemcumque  
 configurationem naæta sit. Hypericum transpirationis of-  
 ficiæ præficitur, ob patulos foliorum porulos, orificiis  
 vasculorum excretoriorum, superficie corporis similium.  
 Saxifragia in infringendo calculo nihil colitur sanctius, a-  
 renosa vero loca, quibus progerminat, hanc ei virtutem  
 communicare afferunt. Crocus & Curcuma in Ictero lau-  
 dantur ceu specifica, ob congenerem hujus cum iis colo-  
 rem. Pulmonaria phtisicis prodeste fingitur, ob figuram  
 pulmoni æmulam. Alcis ungula epilepticis mederi sive  
 creditur sive fingitur, quoniam alcen, epilepticis infestatum  
 insultibus, ungula sua sibi auxilium præstolari tradunt. Os  
 de corde cervi longævos efficere somniant, quoniam cer-  
 vus fit animal vivacissimum, atque longævum. At cur  
 non jubent nos abstinere ab iis, quibus vita brevior, usus  
 tamen alimenti nomine frequentior, ne eorundem usurpa-  
 tione, mortem acceleremus potius, quam arceamus ægri-  
 tudines. Atque in ipsis etiam Misc. N. C. (a) relatum le-  
 gimus: *in catameniorum fluxu ciendo presentissimam opem adferri,*  
*guttis tribus, tintura, aceto squillitico, e linteo sanguine menstruo*  
*tincto, extracta, cum vino propinatis.* Ecce ludicras opinones

A 2

atque

(a) ann. IX. X. obs. 35.

atque fabellas! abhorret haec sana ratio, & nihilosecius ad hunc usque diem & in pharmaciis asservantur, & vulgo usurpanda præscribuntur. Sed haec utpote notorie falsissima nostraque consideratione indigna, siccо pede prateribimus, dum aliae sunt ineptiae, quibus abstinentum omnino censemus, quorum tamen usus adeo invaluit, ut vix futurum speremus, plebem ab iis arcendam fore, nisi arti sue bene cupientium fida opera acceperit. Neque desunt expertissimi in arte viri, quorum vota & labores eo collimant, quo superflua inutilium, superstitionum, noxiorumque farrago tandem abrogetur, quorum quidem conatibus præfens æquiparare veremur opusculum; neque vero, dum eorum meritis applaudimus, & studia imitanur, vel ideo metuimus, nos injuriosos evasuros censores, si majori veritatis quam autoritatis amore ducti, a communi opinione, à multis inviolate custodita, recesserimus. Permanebunt prædecessorum nostrorum peregrinatio in rem medicam gesta canæ posteritati in veneratione & pretio, nosque eorum beatis manibus bene precati, libertatem saltem sentiendi, non vagam, sed firmis innixam rationibus, sequentes, benignam L. B. interpretationem laboris nostri exoptamus.

II. De Terreis itaque medicamentis agere constitui-  
mus, quorum quidem efficacia magnis, sed vanis, encomiis  
in plurimorum morborum medela commendatur, at certe  
removeri merentur magis a foro medico, quam tolerari,  
cum virtus eorum & efficacia ut plurimum aut ficta sit,  
aut invalida, quin & suspecta. Nomine vero terreorum  
non ea saltem intellecta cupimus, quæ origine sua terrea  
sunt, sed & illa quæ ars sive chymica, sive pharmaceutica  
laboriosis conatibus, abstractis nimirum prævie oleis, sali-  
bus, sulphure &c. terrea produxit: omnia denique, quæ  
forma

forma pulverulenta, præcipue e regno animali & minerali in usum therapevticum haætenuis coacervata sunt; radices, flores &c. plantarum duntaxat, & quasi singula, quæ ex vegetantium familia petuntur, ab hujus tractationis censura salva esse decernimus.

III. Ingens autem terreorum est numerus, in quo recensendo nos sublevare videntur materiæ medicæ scriptores, antitodaria, libri pharmaceutici nec non dispensatoria: ast thematis necessitas brevem horum catalogum subneçtere poscit. Sunt ergo hujus generis cranium humanum & os-  
sa ejus triquetra, calculusque humanus; Cornu Cervi, os de corde cervi, typhi cervorum; dens apri, & hippopota-  
mi; ebur; ungula alcis & equi; unicornu verum & fossile;  
umbilicus marinus; testæ ovorum; conchæ ostrearum;  
cochleæ & opercula limacum; tali leporum; margaritæ;  
corallia; mater perlarum; mandibulæ lucii piscis; ossa se-  
piæ; pietra del porco; lapides cancrorum, percarum, car-  
pionum, manati, bezoardici, spongiae, scissilis; &c. terræ  
sigillatæ omnes; bolus Armeniæ; creta; crystallus monta-  
na; cinnabaris; mars; antimonium; item gemmæ, ut car-  
neolus; smaragdus; saphirus; hyacinthus; rubinus; &c. auri  
denique argentique folia. Non vero singula hoc ordine  
recensita seorsim perserutari suscipimus, cum id consuetam  
dissertationis formam superet; prout vero nomine, ita ferme  
natura & effectu convenient, ac vel ideo eodem pariter  
calculo notanda sunt; proinde de iis saltem agere nobis ani-  
mus est, quæ usus quotidianus Medicis & matribus familias  
familiaria reddidit. Decantatissima vero sunt ex universa  
terreorum familia cornu cervi, ungula alcis, conchilia, ma-  
ter perlarum, corallia, mandibulæ lucii piscis, lapides can-  
crorum, antimonium; quæ omnes ferme compositiones  
ingrediuntur.

A 3

IV. Ho-

IV. Horum, antequam effectui præstanto paria censemantur, varius est præparandi modus. Alia simplici saltem tritura, dum raspata prius, aut crassiuscula contusa fuerint, in pulverem tenuem super marmore vel porphyrite comminui præcipiuntur, asperfa nonnunquam, dum teruntur, aqua fontana, aut destillata quadam, a qua singularem pulveribus suis energiam accrescere arbitrantur; alii quasi exquisitus pharmacum paraturi, succum citri pulveribus miscent, ac in quovis ferme morborum genere exhibendum svalent. Ita dispensantur creberrimis usibüs conchilia citrata, lapides cancerorum citrati, corallia citrata, ceu singulare efficacia polleant. Alia coctione diuturna in lebete aut vesica suspenduntur, ac, donec friabilia reddita fuerint, macerantur; dumque cum gelatina omnis olei, salis &c. portio secesserit, eodem, ac ante dictum, modo, in alcohol impalpabile levigantur. Hicque parandi modus tanquam excellentior cautorque præparatio philosophica audit. Exhibentur proinde cornu cervi philosop. præparat; dens apri, hippopotami &c. Alia igne aperto ustulantur, quoad apta fiant, ut conterentium lapidum molimini perfacile obediant. Alia denique retortis atque crucibulis includuntur, & violentissima ignis flamma torrentur & calcinantur, quoad præfixo scopo, ut scil. in pulveris formam redigi possint, idonea evaserint: audiasque cornu cervi ustum, conchilia calcinata, antimonium diaphoreticum &c. ceu specifica vix non adversus quoslibet morbos collaudari.

V. Paratos ita pulveres speciosis titulis condecoratos, ingenti copia, cum vehiculo largiori, majoris forsitan virtutis ac quidem ipsi sint pulveres, devorandos præbent; at non solitarie saltem, sed vim eorum exaltaturi, eos magna & inepta miscela consarcinant, tinteturis & essentis miscent, frustra

frustra se extracturos ope spiritus vini sperantes, quod ignis aut dudum fugaverat, aut iis nullatenus inhæret. Quin & pilulis, emulsionibus, balsamis, ungventis, emplastris, pondera augentes potius & pretia, quam virtutes exaltantes, recondunt, ut risum sæpe, sæpe & indignationem à quo censori moveant ineptissimæ similium remediorum formulæ. Utiñam horum fautores Helmontio rectius sententi auscultarent, dum eruditissime de iis medicamentis, quæ arte parantur, testatur: *Plurima* (b) inquit, *simplicia specificam proprietatem per præparationem magisque per separationem Ignem amittunt.* Et vere plurima calx sunt evanida, terra damnata, caputque mortuum. Hæc prædicata jure à chymicis residuæ operationum suarum massæ tribuuntur: atque res ipsa loquitur, similia per ignis flammam destructa omni principio medicamentoſo carere. Prolectis enim sive coctione sive uſtione aut calcinatione gelatina, ſalibus & oleis &c. quid ſupereret? omni experimento, quantumvis industrie instituto, præter terram fatuam & inane pondus, nihil, aut certe oleum fætidum, ſpiſſum, abominandi ſaporis, abominandi uſus. Idem ſane præſtare videntur, qui calcinatas animalium partes in uſum medicum adſciscunt, quod metallis separandis dediti, ſtultissime agerent, si ſcilicet minerarum metallicarum ſcorias uſui ſervarent, metalla vero multis laboribus e ſcoriis exuſa, ceu inutilia, rejicerent. Et nihil minus nullus est morbus, contra quem ſterili terreorum pondere non pugnet vulgus! adeo in abuſum abierunt terræ calcesque, ut cum stupore ingenti experiaris intra paucos dies plura cervorum cornua devorari.

VI. Ut vero vanitas terreorum pateat evidentius, necessarium eſſe existimamus diverſitatem morborum, modum-

(b) Tr. tria prima princip.

modumque agendi medicamentorum concinna brevitate disquirere. Proinde si pensitaverimus humani corporis structuram, videbimus quidem solidā & fluidā sapientissima lege, a sanctissimo Conditore sibi invicem hoc pacto subordinata esse, ut perpetuo mutuum se se inter soveant commercium; at vero vix non singuli diverso gaudent corporis habitu, moribus & consuetudine discrepant; aliis alia est vietus & vita ratio prae aliis. Cunctanter hi laboriosa opera in stadio juventutis decertantes senescunt, & famem querulantur; illi otio & voluptatibus disfluunt, deliciis se se premature interficientes; hic mansveto animo, tranquilla mente tolerat adversa, ille levi offensa in iram & furorem exandescens, cædes machinatur & mortes; rursus alii libero aere degunt ruri, aut montibus, aut juxta fluminum ripas, alii palustria incolant humiliaque loca, alii urbibus habitant, felicior alteri alter: diversum itaque vix non singuli sorbent aërem. Hinc rigidiores fibræ huic, alteri laxiores eadem; hunc crebriores excretiones enervant, illum alvi pertinax cutisque obstructio fato servat pejori; præ humorum spissitudine, tenacitate, inertia, parcitate venæ inanitæ elanquescunt aliorum, coalescuntque; aliorum vasa nimia liquidorum fluiditate & copia turgent, distenduntur, vix non rumpuntur: obesi, pingues, carnosí fistuntur alii, alii vix ossibus hærent. Miranda ergo adeo diversa hominum conditio! atque huic diversitati corporum & animorum, diversi respondent morborum ordines. Hinc

VII. Morborum alii partes afficiunt solidas; fluidas alii; alii utrisque exitiosi sunt. Solidarum partium morbi ad chirurgiam plerumque ablegantur; fluidarum pharmaceutica remedia postulant, utrorumque sanatio fontis diæteti ci adjuvamine perficitur. Porro solidarum partium morbi sunt

sunt mala harum cohaesio, conformatio, figura laesa, laxitas, rigiditas, numeri excessus vel defectus, magnitudo aucta vel imminuta, coalitio, distortio, dislocatio, ruptura, fractura, elasticitatis impedimentum vel augmentum, inflammatio, tumor, obstructio, omnisque corruptela. Partium vero fluidarum ægritudines potissimum hæ numerantur: humorum copia vel inopia; separatio in loco indebito, vel impedita; fluiditas nimia; spissitudo; inertia; tenacitas; mala mixtio; subactio; secretio; excretiones nimiæ vel suppressæ; aliorum que humorum vitia, pro varietate scil. assumtorum & solidorum indolis. Verbo morbi fluidorum a morbis solidorum plerumque oriuntur, solidorumque morbi vicissim a conditione fluidorum pendent. Sicut ergo servato æquilibrio utrorumque persistit sanitas, ita utriusque affectus noxius in alterutrum redundat.

VIII. Morboſi deinde affectus, ſive solidorum ſive fluidorum, alii afficiunt corpora tenellæ puerorum; alii juvenum; ſenum; alii ex his ſunt morbi ſexus; alii acuti; mali moris; laethales, ancipites, ſalutares; chronici, breves; vernales, æſtivi &c. externi, interni; hæreditarii; contagiosi; endemii, epidemii; ſimplices, compoſiti; totius corporis vel partis cuiusdam singularis. Omnis itaque humani corporis conditio, quæ actiones ſive vitales, ſive naturales, ſive animales laefas eſſe manifestat, morboſa eſt. Unde morbus, quoconque nomine veniat, eſt effectus corporeus, singularis determinatae cauſæ, cuius acurata ablatio sanat. Sanatio autem, eſt morbi in ſtatum priftinæ vitalitatis, convenientis remedij applicatione, mutatio; hæc autem dirigitur a mente præficia futuri effectus.

IX. Quapropter ad morbos tollendos requiritur humanae fabricæ cognitio anatomica & phyſiologica, quo

B

laefio

læsio quævis impediri, aut suborta distincte pernoscí & reparari queat; historia item pathologica cujuslibet affectus, quo convenientis remedii inventio & applicatio, adversus mali causam, juxta indicationum varietatem dirigi valeat; ipsius tandem remedii applicandi perspecta vis & efficacia, ordo, modusque utendi.

X. Inde medicamentum agit in corpus nostrum veluti instrumentum, mutationem scil. inducendo solidis vel fluidis, vel utrisque simul, quoad morbo depulso optata resultet salus. Sive vero agat in solida sive in fluida, agit vi soliditatis, molis, figuræ, situs, motusque particularum suarum, atque pro vi vitæ superstitis & conditione reactionis ac renis fibrarum corporis ægrotantis, humorumque ejusdem. Omne ergo instrumentum immediate quodam modo applicari debet subjecto, in quo mutationem intendimus; proinde oportet illud esse appropriatum effectui præstanto, cum neutquam unum idemque deserviat ceu idoneum singulis reparandis. Unde necessarium summopere reputamus, vires vitæ & morbi atque remedii probe inter se conferre, ne forte infirma recensione ægrorum aut vana spe collaudati cujusdam medicamenti delusi, & inde incongrui instrumenti seu remedii applicatione incauta, periculo ægrum, nos vero ludibrio exponamus etiam imperitis. Hoc enim pacto fit, dum medicamentis quibusdam adversus determinatos morbos, falso pro specificis declamatis, nimis confidenter insistimus, ut effectu haud secuto, eos ceu incurabiles feliciori fato committamus. Nam nequaquam speciosis remediorum inscriptionibus obediunt morbi, siquidem pro re nata, in diversis corporibus, imo pro circumstantiarum & causarum varietate in eodem corpore recurrentes, diversimode variant.

Medica-

Medicamenta quoque non eundem in singulis servant operandi modum. Atque hæc tametsi non ignorentur, nihilominus audacter panaceæ seu medicinæ universales prædicantur. O nos felices, si verbis & imperio morbos tollere possemus!

XI. Ruit ex inde inane commentum tantopere amatæ vulgo medicinæ universalis. Sistamus nobis homines, quorum cujusdam humores boni quidem sint, at in tanta parcitate, ut corpus imbecillum reddatur & functionibus suis inceptum: emaciatum talismodi corpus exaresceret pauclo, viribus penitus absuntis. Alius esto, cuius humores equidem boni, at copia superante vasorum capacitatem; debilem, lassum, ad exercitia sua minus idoneum fore videbitus eundem. Alterius corpus liquidorum abundet vel deficiat quantitate, vel æqua humorum sit portio, attamen corrupta ob malam nimirum solutionem, subactionem, mixtionem, separationem, distributionem, excretionem &c. & orientur cruditates, vasorum obstrunctiones, cachexiæ, leucophlegmatiæ, hydropses, fœda exanthemata &c. Aut denique motu peccent humores; atque hic sit vel nimius, vel insufficiens: si primum? impellentur fluida in canales sibi impropios, vel circulo velociori copiosius in proprios; hi tendentur, debilitabuntur, concident, obstrueruntur aliij, stases humorum obtingent, inflammabuntur solida, aut in tumores abibunt, exulcerabuntur &c. si secundum? omnis secretio inordinate procedet: incrassabuntur nempe fluida, minusque subacta erroneo cursu in canalibus hærebunt alienis, moleculæ eorum jungentur firmius, coalescent canales minimi, deobstruentur medii, debilitatisque majoribus flaccida evadent singula, Tanto vero magis hæc obtinebunt, quanto magis à dispositione naturali recesserint

solida, quantoque cæterarum rerum non naturalium incongruus usus accesserit. Possibilene videtur medicamentum his omnibus impediendis & reparandis promtum atque idoneum? quod scil. humorum inopiam ad quantitatem debitam augeat, ac excedentem copiam imminuat: quod motum velociorem consopiat, & suo quæque limite coérceat, lanquidioremque vividiorem reddat; quod obstructions reseret, spissitudini fluiditatem congruam conciliat, æquilibrium restituat, excretiones nimias temperet, deficientes excitet, secretiones vitiatas aut impeditas emendet, quod fibrarum laxitatem roboret, rigidis tonum impertiri valeat: quod viribus vitae consulat, corpus imbecillum pristino vigore recreet &c. Ecce effectus contrarios, ab una vero eademque panacea credulo nimis speratos! quasi rationis usu præditæ forent medicinæ, sic dictæ, universales, aut ita medentis parerent imperio, ut ad qualsvis corporis nostri partes, officio suo, cuius nomen eis impostum est, satisfacturæ pergant. Si proinde historiam cuiuslibet morbi specialius rimemur, mirabimur profecto inverecundiam eorum, qui universalia ventilare non verentur; dolebimus quoque miseram sortem illorum, atque circumspectam fidem, qui figmentis hujusmodi confidentes, caro nimis, & nonnunquam in sui perniciem, vilissima omnisque magnis elogiis & sesquidedalibus titulis promissi effectus expertia, coëmunt, splendidis decepti encumiis. Certe ut nostro sæculo nihil fallit magis ac nomina & tituli, internis rerum pretiis vilescentibus, ita & in pharmaceuticis turpissime decipitur, qui a nomine ad vires remedii argumentatur.

XII. Et quid de terreis nostris dicemus? tametsi nondum eam felicitatem nacti sunt pulvres fatui, ut univer-

universalis medicinæ nomen eis impositum sit, eidem tamen in medendo pares evasisse videntur. Non quidem, acsi virtute universalis quoslibet persanandi morbos polleant, verum quoniam nullum haec tenus morbum reperi, cui terrea non opponerentur ceu remedia, omnino infallibilem prophylaxin præstitura. Vix domum invenies, in qua non plurimum scatularum, calcibus terrisque mortuis refertarum, numerosus ordo, incautam utentium & præscriben-  
tium fidem prodat: nullam videbis pulverum formulam, in qua sterilium hujuscemodi calcium terrarumque usta-  
rum congeries non custodiretur. Videas enim pulveres  
cephalicos, pectorales, cordiales, analepticos, pleuriticos,  
antihecticos, galactopœos, diaphoreticos, diureticos, sto-  
machicos, anticolicos, anthydropicos, phlogisticos, dysen-  
tericos, cachecticos, antifebriles, nephriticos; contra fo-  
dam, abortum, casum, vermes, scabiem, scorbutum, poda-  
gram, tussim, strumas, ad partum; & quis singulos recenseat!  
in quibus omnibus terrea, specifica aut rectius universalis  
virtute instructa extolli audias. Et ne quid venustati desit  
& pretio, gemmarum, auri & argenti pigmentorumque mi-  
nime obliviscuntur eorum artifices. Ego quidem non vi-  
deo, quo pacto vis specifica contra omnes morbos inesse  
terreis, credi possit, curque specifici vocabulo adeo dele-  
ctentur quidam? nisi forte, cum nulla eis ratio suppetat,  
qua se tueri valerent, quo modo vere in corpus nostrum  
agat collaudatum remedium pulverulentum, ut uno se ex-  
pediant verbo, quod agat specificē. Rectius ad qualitates  
occultas configurerent, dum vere ingenii eorum occulta  
est vis terreorum medica. Aut cum Helmontio sentiunt, (e)  
dicente: *capi deinceps contueri, quod meus intellectus plus proficeret*

B 3

per

(e) Tr. Jus duumvirat.

*per figuras, imagines, & visiones, quam per rationis discursus; &*  
*paulo post, agnori valedicendum esse rationi & imaginationi,*  
*ut facultatibus brutalibus.* Vereor ne similiter somniantes  
 nubem prehendant pro Junone. Aut demum sacra eis sunt verba dispensatorii cuiusdam, dum consuetudini etiam  
 praeter rationem aliquid dandum est? Et videtur ita fieri.  
 Namque ex Helmontii sentent: (d) *lapides cancrorum aco-*  
*rem in prima officina destruunt, & inde multi morbi curantur,*  
*quamvis etiam non pergant ad illa loca, ubi vera morborum ipso-*  
*rum est sedes.* Claris. LANGIVS in operibus suis *lapides cancro-*  
*rum polychrestum omnino medicamentum esse dicit, adeo, ut si o-*  
*mnes morbos recensere, in quibus convenient, opus se habere con-*  
*fietur, prolixum catalogum adornare.* Miscel. N.C. (e) SOMME-  
*RVM referunt, lapides Cancrorum maximarum virtutum in peste*  
*ac febribus malignis existimantem.* Item ad CRVGERI mentem  
 (f) multum interest, ut verorum oculorum concrorum nobis sit co-  
 pia; equidem, ait, non dissimulo eos easdem acidum annibilandi  
*cum conchis & margaritis habere vires, interim tamen plus adhuc*  
*iis inesse dudum observavi.* Nam lapidem bezoardicum imitantur  
*quoad vim bezoardicam, sudoriferam & expulsivam, urinam mo-*  
*vent, calculum frangunt, sanguinem coagulatum dissolvunt, pleu-*  
*ritidem discutiunt, colicæ medentur, vulnerarii sunt.* Plura de  
 cancrorum lapidibus elogia Gammarologia SACHSII suppe-  
 ditabit volenti. Cornu Cervi vires integro libro GRÄBE de-  
 pradicat, cuius titulus Elaphographia seu Cervi descriptio  
 medico-physico-chymica &c. Idem Agricola docet, lib. de  
 Cervi tum integri & vivi natura &c. miranda his continen-  
 tur encomiorum monstra. *Corallia robore cor præcipue, &*  
*dein ventriculum ac jecur atque exhilarare animum SCHREDEVRS*  
*perhibet*

(d) Tr. a sede animæ ad morb. (e) Dec. III, an 3, obs. 151.  
 (f) loc. cit. obs. 147.

perhibet. (g) De his singulari libro commentatur GANSIVS, non minor encomiastes coralliorum ac SACHSIVS Gamma-  
rorum & GRABE Cervorum. Atque Margarita laudato SCHROE-  
DERO teste (b) prebent cordiale nobilissimum, quo balsamus vite  
oppressus, viresque exsoluta insigniter recrecentur; proinde animum  
exhilarant. Unicornu fossile alvi profluvia, dysenteriam, ut-  
eri hæmorrhagiam, menstrua alba, hæmorrhoides, gonor-  
rhœam fistere credit aliis non infimi nominis. HILDANVS  
de ossibus triquetris hæc profitetur: mitto (i) offa aliquot  
triangularia, que ad epilepsiam depellendam singularem vim habere  
expertus sum. Vult vero CROLL: ossa triquetra è calvariis viro-  
rum, viris; è foeminarum prodesse foeminis: Cornu Cervi  
autem inter bina Mariae festa colligi debere tradit. ETTMVLL.  
(k) ad astum intensorem becticorum præcipue, prodesse antimonium  
diaphoret: bezoardicum minerale, lapid. canc: percar. corallia ma-  
tremque perlar. TEICHMEYERVS quoque terrea, lapidosa, cales  
metallorum ad refrigerantia interna spectare contendit. (l) WE-  
DELIVS (m) Metallica, aurum, margaritas, corallia, cinnabrin ir-  
radiatione quadam & illuminatione serenare arbitratur; idque  
roborare nititur, dum dicit: id sane, si cum grano salis intel-  
ligitur, non est de nibili, si concipiamus sulphur esse lucis matricem,  
& quanto piius est sulphur, tanto generosorem quoque secum fo-  
vere lucem, quam lux vitalis sibi attribuere & appropriare potest.  
De Cinnabari prodigiosa loquitur LUDOVICI (n) Cinnabaris,  
ait, præstantissimum & securissimum mercuriale, non solum diapbo-  
retica exaltat, nec epilepticis tantum, etiam recens natis - - -  
verum etiam hysteriarum, ne opiatis quidem placandarum, colicu-  
rumque tormenta, vertigines, vagas arthritides, dentium, aliarumque

## partium

(g) In histor. Coral. (b) libr. 3. Operum. (i) Epist. ad  
Küfferum. (k) Tom. II. oper. (l) Mat. Medic.  
(m) Amænitat, mater. med. (n) in oper. Dissertat. I.

partium nervosarum dolores, cutaneosque affectus complures evi-  
denter lenit, atque tollit. In phantasia insuper vitiis, morbillis, pe-  
zichiis &c. plurimum confert. SCHROEDERVS Cinnabariz medici-  
nam esse universalem in quolibet morbo adhiberi idoneam, autumat,  
(o) atque antimonium JL. HOFFMANNO sentiente (p) est quasi  
fons & scaturigo præstantissimorum medicamentorum, dum in hoc  
tanquam in abyso inexhausta comprebenduntur omnium metallo-  
rum & mineralium energie, & gravissimorum morborum medela &c.  
Et secundum JVNCERVM (q) antimonium diaphor. remediorum  
princeps vocatur. Nam (r) resistit corruptioni, mundificat sanguinem,  
conducit ad omnes obstructiones, licet inveteratas, hepatis,  
lienis, mesenterii aliarumque partium internarum; adversus reten-  
tionem mensum, cachexiam virginum, hydropem, melancholiam  
hypochondriacam, lucem venereum, ulcera tam interna quam exter-  
na, scabiem: præsertim confert in febribus malignis, exanthemati-  
bus, & variolis, rumpit interna apostemata. Auro denique, atque  
ipis etiam mineris auri, omne negotium vitæ nostræ re-  
parandæ & conservandæ committendum esse gloriatur in  
Basilic. Chym. OSVALD. CROL. hancque virtutem, vitale in  
nobis principium, excitantem, in commercio solis & lunæ  
cum cordis cerebrique fabrica sitam esse, persuadet: atque  
ita aurata sua frigiditate repellere a corde fluxiones pravas, siccitas-  
te autem & substantia incorruptibili tueri idem ne purefacat arbit-  
ratur. Dicere supersedeo solares sæpe exhiberi medicinas,  
quæ vero nisi vocem auream saltem participant, exemplo  
fit aurum potabile. Cæterum aurum bracileatum pictoriæ  
artis usibus cedat & ornamenti. Mirandum sane, cur non  
amico consensu, tot præstantissima remedia inter, unum  
saltem alterumve elegerint eorum Patroni, cæteris omnibus  
repudia-

(o) Lib. III. Cap. 16. (p) in Clave. (q) Therap. Gen.  
Tab. IV. (r) Ettmüll. Tom. II. p. 403.

repudiatis: at servant & alia, non sine suspicionis nota, eos plus laudis tribuisse terris suis, quam virtus eorum omnino mereatur.

XIII. Venia tua L. B. plura attulimus, anne vel in uno saltem deprædicatam virtutem contineri statues? Et unde amabo tam eximiæ dotes calcibus, terrisque exustis? ob salis volatilis, sulphurisque subtilissimi præsentiam, putant. Anne exigua adhuc salis sulphurisque portio sive cornu cervino, sive lapidibus cancerorum, aut antimonio &c. calcinatione potentissima ignis flamma peracta, inhærere potest? crematur e. g. nitro admixto antimonium ad fluorem usque, edulcoratur tandem, crystalli separantur, nitri productum: ustulantur cervorum cornua, oleum abstrahitur & spiritus, & sal elevatur in vasorum latera: Item gelatina coctione e latebris partium animalium prolicitur, & dum ita omni vinculo ejusmodi concreta sive animantium sive mineralium spoliata sunt, secedunt a se invicem in minutissimum pollinem levissimo labore parabilia, faciamus his peractis, si lubet, periculum, & residua post quamlibet calcinationem exploremus ultro; sive vero conchilia calcinata, sive cornu cervi ustum sive philos. præpar. antimoniumque diaphoret: dilutum seu edulcoratum retortæ denuo incluserimus, rursusque diluerimus &c. neque crystallos generari, neque salia elevari, nec olea prolici videbimus, nisi forsitan ex ingenti pondere, molem prorsus exiguum, gustui ingratam, odoratu molestam, usui noxiā aut saltem suspectam. Sed esto salia, magna copia, in terris prædictis hareant, ea tamen minime volatilia aut alcalia sunt, nisi Chymica ars ea hujus indolis effecerit; quanquam nulos coralliorum, matris perlarum, lapidum concrorum &c. sales extare nobis haec tenus innotuerit.

XIV. Sunt ergo testae ovorum calcinatae calx viva - - ostracodermata post calcinationem abeunt in perfectam calcem - - calcinata ossa ad calcis naturam accedunt. -- Magisteria terrarum sigillatarum - - sunt calces inertes - - adeoque nullarum virium. ETT-MVLL. pluribus loc. Huic adstipulatur ZVOELFERS. (s) vulgaria magisteria sunt mortuae calces, ventriculum saltem & intestina albugine obducentes, gravantes &c. Et vere de conchis ita esse convincit nos Batavia, ubi vix non singula aedificia calce ex ostreorum testis parata construi cernimus. Recte itaque BOERHAAVE statuit (t) fatalius aliud baud accidit vel chymia vel medicina, quam sulta opinio, quasi cuncta, que chymico nascentur opere, semper idonea forent in arte medica instrumenta. Et nihilominus terris hisce mortuis omnibus morbis resistere conabimur? Ego certe, verba sunt BAGLIVII (u) vix capere possum, quo modo medici indiscriminatim ad omnes morbos pulveres testaceorum & alkalinos, ut vocant absorbentes, praebant, qui non aliud revera sunt, quam terra inutilis & caput mortuum mixtorum.

XV. Sed & ii, qui cautius sibi mercari videntur, cruda scil., absque ignis adminiculo parata, exhibendo, in errore versantur eodem. Si enim pro terreorum solutione & friabilitate, atque salis, & olei separatione violentam ignis flammanam requirit ars chymica, sane blandus ventriculi calor, tantæ ignis efficacie substitui non valebit: cum caustum sit stomachum sanum vix ac ne vix quidem terreos digerere posse pulveres, quanto minus in statu morboso, in quo vix juscule tenuia digeruntur! Indigesti ergo insolubilesque manent pulveres terrei? ergo instrumentum sunt omnino inidoneum, ad adeo plausibiles effectus producendos. Non enim probabi-

---

(s) De medicam. alterant. (t) in præf. Chem. Tom. II.  
(u) oper. p. 388.

probabile est terrea ultra primas vias progredi, sed quid quid  
præstare in œconomia corporis nostri possunt, id in ventri-  
culo atque canali præstant intestinorum.

XVI. Perpendamus serio anatomicorum laboriosos at  
felices conatus jucundissimosque in detegendis venis lacte-  
is, quæ totò canali intestinorum patulis hiant osculis, per-  
que omnem mesenterii apparatum distributa ramificationes  
vix, nisi armato oculo, visibiles formant, atque miro reptatu  
in glandularum gyrantur texturam; atque per easdem ceu  
unicam saltem viam, omne quid quid medicamenti & ali-  
menti nomine corpori ingeritur, pertransire debet. Quid  
quid vero hanc viam ingreditur, motus peristaltici mecha-  
nismo ingreditur. Si ergo corpus infirmum sit, debile quo-  
que sit in actionibus suis, est necesse; adeoque in corpore  
hominis minus recte valentis, motus peristalticus erit de-  
biliar, proinde lanquescit ventriculi activitas; ergo viscidi,  
tenaces, crassi aliisque nascentur humores, bileque inerte in-  
immutabiles; sique terrea majori forte copia his sociantur,  
mucosam, glutinosamque massam reddent mucosorem,  
valvulas intestinalium obsidentem, tunicæ villosæ ventriculi  
& intestinalium firmius adhærentem, ostiola oblinentem,  
secretionem liquoris gastrici atque lymphæ intestinalis pro-  
hibentem, uti observ. testantur. Jam si minima lacteorum  
oscula ingredi non valent medicamina terrea, quomodo per  
tot anfractuosa, tortuosa, in varios gyros & glomos inflexa  
glandularum vascula subire, massæque humorum permisce-  
ri, atque officio commisso fungi poterunt? certe qui hæc  
penitaverit, mille obstacula inveniet ultro terreis prædica-  
ta adeo magnifica concedi posse. Neque in ventriculo ca-  
dem solvi arbitramur, ut supra innuimus; experimur enim,  
terræ molliora, digestionis legibus non parere; unde

optime notat HELMONT: (x) Gemme, s̄lices &c. Et quæcumque crystallinam habent duritiam, nequicquam agunt aut patiuntur in nos aut in nobis, nisi per modum appensi: & l. c. de perlis, corall. lap. bezoar atque cancerorum ait: quod licet saxatilem duritiam non habeant, nullatenus tamen digeruntur a stomacho humano; inest quidem illis succus lacteus & mucilagineus, magna quidem virtutis, exiguae tamen quantitatis. Dum ergo proportionatam requirimus remediorum dosin, quam ægritudinum causis opponamus, ut iis depulsis, salubris resultet mutatio; sequitur, succum illum lacteum & mucilagineum exiguae quantitatis, exiguae quoque esse virtutis. Si vero eam laudati succi optamus copiam, quæ relevandis ægris sufficiat, ingentem mollem terreorum illis devorandam præbere oportebit: ea vero ob pondus nimium plus noxæ causabit, ac succus inseparabiliter iisdem inhærens, boni produxisset, si solutus a terris exhibitus fuisset. Cum ergo terreorum effectus non ultra primas vias propagetur, adeoque pro mora eorum in ventriculo, ingenti eum gravabunt pondere, symptomata urgebunt, effectus bonos, vi vita forte sponte secutos, retardabunt, impedit, promissa nunquam implebunt. Itaque potiori jure pulveres terrei ceu inutiles, otiosi, & noxii efforo medico proscribendi essent, ac secundum GEHEMA (y) vene sectiones, scarificationes, purgationes &c. uni forte, absorbendi nimirum fini deservientes servandi. Neque exempla desunt, quibus fatua esse terrea, sterilia & nociva commonistratur. Fusius ZVOELFERS refert, quod paucis subjungimus. Aeger diurno morbo conflictans, lenta tandem febre corripitur; a laudato ZVOELFERO vomitorium, re ita postulante, porrectum deglutiit, cuius ope ingentem massam mucaginosa

(x) Tr. de febr. (y) Tr. Germ. von grausamen Medicinalischen Mord - Mitteln.

noso - pulverulentam ejecit; attulitque æger scatulas quasdam, confitendo se iussu Medici longo tempore de eorum pulveribus usurpare. Pulvis Marchionis erat cum cornu cervi usto, coralliorum atque perlarum magisteriis. Magnis itaque sumitibus ægritudinem sibi accersit æger, nec nisi rejectis juvantibus, sanatus est. Haud dissimile continent Misc. N. C. dum referunt quendam per plures hebdomadas indies duas tres dose terrei cuiusdam pulveris assumisse: sequuta est summa ventriculi debilitas, omniaque vomitu reddidit æger, quæ necessitas absorbenda svadebat; felix tandem emeticum insignem molem terrei pulveris, pituitæ viscidæ implicatam ostendebat. Nec dispar his est observ. Cl. ALBERTI: dum febricitanti studioso a contubernali suo, exhibito prius vomitorio, largius pulveres terrei administrarentur: at symptomata increscabant, lipothymia cum vomendi connamine prostravit ægrum penitus, donec magma mucidum, albicans, pugni magnitudine eructans, animam exhalasset. Neque ignotum est in celebri quadam urbe haud paucos inflammatione ventriculi extinctos esse, ab incauto conchiliorum calcinatorum usu. Imo sæpe culter anatomicus magnam inertium pulverum molem in ventriculis demortuorum detexit; non absque evidente prorsus indicio mortis causam in pulveribus latitasse, aut certe nihil eos præstittiæ eorum, quorum gratia exhibiti fuerant.

XVII. Superfluum fore arbitramur prolixiori oratione noxam terreorum deplorare, atque dum generalius de iis hucusque egimus, de abusu eorum speciali quædam subjungere libet; ea vero saltem perlustrabimus, quæ providæ etiam mulierculæ, nec non alii, medicorum officia æmulantes, familiaribus svadere solent.

XVIII. Igitur ubicunque diaphoresin movere, dolores  
C 3 capitum

capitis mitigare, pleuriticis insultibus imperare, nephriticorum cruciatus demulcere, epilepsiae & febribus mederi intendunt, cornu cervi præparatum, conchilia citrata, coraliorum pulverem, lapides cancerorum &c. in prompte penu sua proferunt; nec non, quod risibilius est, animi quoque affectibus iisdem imperare contendunt.

XIX. Omnium vero frequentissimum, tam vulgo quam medicis, est transpirationis negotio prospicere. Et recte quidem magni facienda est transpiratio insensibilis jugiter persverans: eam enim sive in totius corporis ambitu sive in parte quadam singulari impeditam vel suppressam, quam diræ infirmitates & diuturni consequantur morbi, norunt omnes, quot quot eisdem reparandis defudant; omnium pulcherri- me atque doctissime de noxis ex transpiratione cohibita natis tractat in Medic. static. SANCTORIVS, non minorem adeptus gloriam, ac HARVAEVIS circuli sanguinis divulgatione. Est autem, ut docet NOQVEZ, *perspiratio ut sanguinis tenuitas, velocitas, & pororum diametri*. Secretio ergo hæc insensibilis merito inter summas reputanda est. Omnis vero secretio, ut rite succedat, requirit aptam & sufficientem secernendi materiem, hujus liberum motum, atque organi secernentis idoneam dispositionem. Adeoque ex parte subjecti, in quo diaphoresis movenda est, requiritur sanguinis congrua fluiditas; sufficiens materia transpirabilis portio; motus humorum velocior, quo liquidum tenuius in sua determinetur organa, atque ut tubuli cutanei patuli sint atque aperti. Ex parte vero remedii diaphoretici requiritur, ut ea instructum sit efficacia, qua velociorem in sanguine motum fuscitet, utque hoc aucto, liquidum per cutis poros evaporandum, ad ultimas vasculorum extremitates depellat. Frustra vero hæc singula medicamento terreo tribuuntur: nam laxare

laxare terreis rigidos cutis poros, & eorum minuere resistentiam, atque sanguini requisitam fluiditatem, sufficientemque transpirationis conciliare materiem fabulosius fingi, quam verius demonstrari posse, omnibus patet. Nulla igitur calce, nulla terra diaphoresis excitabitur unquam.

XX. Supra ostendimus terrea tubulos lacteos permeare inque massam sanguinis transfundi minime posse, atque exiguae saltem quantitatis mucaginem continere, quæ longe insufficiens sit, ut toti humorum massæ velociorem motum impertiat, si quem impetriri queat: quid autem crebrius e pharmacopoliis petitur pro fine diaphoretico, quam terræ fatuæ, calcesque damnatae! perlustramus bezoardicorum, diaphoreticorum, sudoriferorumque classes, nec non consuetudines dispensantium videbimusque in eorum catalogo plura & quidem utilissima contineri, verumtamen consuetudo intolerabilem legem induxisse videtur, ut neglectis iis, quæ vera virtute diaphoretica pollent, saltem ossa cremata, terrasque calcinatas & exustas animalium partes in usum vocemus. Neque sales volatiles crudis animantium partibus aut calcinatis copulatos esse, ut iis diaphoresis excitari queat, persvaserit quisquam: nisi libras, non scrupulos & drachmas crudorum ossium devoraverit æger, atque nisi in ejusdem ventriculo, eodem negotio, quo in laboratorio chymico sales elici supponamus: sed esto, excitent salia sudores; ergo utamur salibus, repudiato terrarum usu tanquam superfluo & inermi. Neque ii audiendi sunt, qui experientias clamitant, scilic. pulverem bezoardicum, conchilia citrata, cornu cervi sine igne, corallia &c. cum infirmi levamine sudores fundere: pace enim vestra dixerimus, stragulis involvitis patientes vestros, quietum situm imperantes eisdem, nec non hypocausto calidiori persiltere jubetis, aut forte vehicu-

vehiculum calidum præcipitis iisdem, quæ singula sudori  
 largiori promovendo sufficere nulli dubitamus. Neque  
 proderit dicere, terreos pulveres acidum ventriculi abfor-  
 bendo diaphoresin causare: si econtra ab experientia argu-  
 mentum mutuavero, eos qui acido in primis viis abundant,  
 in sudores spontaneos pronissimos esse. Accedit quoque, a-  
 cetum, validissimum constituere diaphoreticum, minime  
 vero ad mentem quorundam, ab eo humores coagulari, li-  
 cet id ipsum, erroneo, evincere conentur experimento, dum  
 animantis venæ spiritum sulphuris aut vitrioli, aut aliud aci-  
 dum minerale exaltatissimum infundunt. Alterius namque  
 indolis est spiritus acidus ope chymica productus, & imme-  
 diate sanguini infusus, aliud acidum spontaneum in ventri-  
 culo genitum aut acetum quodpiam liquori gastrico per-  
 mixtum. Nec iis manus damus, qui terreis vim adstringen-  
 tem tribuunt, atque fibras roborando, sudores moveri arbit-  
 trantur. Vel enim vis adstringens in vasorum, per quæ transi-  
 re supponuntur, initii se manifestat? vel in eorum progres-  
 su? si in initii? ergo in venis lacteis. An vero robur fibrarum,  
 vi adstringente terreorum, ex hypothesi, in tenerrimis vasis  
 lacteis progenitum, ad extrema usque cutis spiracula per  
 tot ambages, truncosque grandes ingentium vasorum, ex-  
 tendi credendum est?, si in vasorum progressu ad sudores  
 stimulant? demonstandum erit terreos pollines chyliferas  
 permeare angustias, perque Pecquieri ductum, viam diffici-  
 lem, vasorum reptati se se immergere. Neutrum horum est  
 probabile. Ridendi vero omnino sunt, qui sudores provo-  
 caturi terreis, eos hac ratione oriri putant, quoniam orgas-  
 sum sanguinis temperant, cum potius omnis vis sudoriferum  
 in hoc sita fit, ut motum ab iis nanciscantur velo-  
 ciorem humores exhalandi, quo ultimis vasorum orificiis  
 supera-

superatis, tenuis illa impetratur excretio. Verum sit sua cuique sentienti agendique libido, nobis non alia sequenda regula, quam quæ præceptis sanæ rationi conformibus, cordinatorumque virorum judicio, ab omni autoritatis amore alienorum, superstruitur, monente ita prudentissime FREINDIO: *in Medicina facienda non autores, sed rationum momenta quaerenda esse.*

XXI. Nostro itaque judicio nemini præjudicante, infusum theè, coffèe, brodium tenue, aromate conditum, calidum, largius assumtum; aqua frigida, salia volatilia oleosa, aut pro circumstantiarum ratione spiritus vini, aut haustus vini generosioris, nec non cerevisia antiquior herbis aromaticis parata, frictiones, balnea, motus in loco calidiori, stragula denique præsentissima, verissima & grata diaphoretica constituunt. Neque contradictiones, supra tacite relatas, de nuno repetere animus est, dum terrea a quibusdam ad æstum diminuendum, & refrigerantia esse, a quibusdam vero dia phoreticis annumerari, ab aliis utrumque simul iisdem præstari creditur. Porro

XXII. Cephalgiae vix parem doloris sensum esse, testantur ii, qui pluribus dolorosorum affectionum speciebus concertant; & sâne si pulposam, teneram, mollem cerebri contueam fabricam, si vasorum miro ordine & distributione reptantium plexus contemplemur & sinus, atque copiosi cruris per carotides appulsum celerem, tardioreme per jugulares regressum; si tot nervorum origines & humoris nervei secretionem, si membranas duas piæque matris, horumque minimos spectemus tubulos, si thecam osseam nullo muscularum custoditam velamine pensitemus, facile diversarum cephalalgiaæ specierum concipere licebit ideam. Neque de clavo, hemicrania, phrenitide perorare hic locus

D est,

est, medendi saltem modum per terrea disquirientibus. Et profecto si in ullo morbi genere inepti sunt pulveres terrei, certe in capitis affectibus omni auxilio carent. Decantatissimum in cephalalgia specificum cephalicum MICHAELIS creditur. Non lubens illud commemоро; at cum mirificis celebretur encomiis, providaeque matres familias id ipsum ex officinis, in crastinum domui sue profuturum, frequentius postulent, ne forte desit, quo in omnem eventum, domesticorum saluti, rubicundo hocce aurique condecorato medicamento, an pigmento? prospicant, vires ejus considerare oportet. Compilavit illud autor ex magisterio epileptico & cordiali (qua de cornu cervi, matre perlarum, corallis & ungula alcis parantus) adjecta foecula paeoniae & cinnabari. Diffidentes vero quidam de operosi hujus pulveris valore, aliam ejusdem nominis substituere formulam auni si sunt, atque magisteriis & foecula rejectis, paeoniam & magisteriorum ingredientia cum cinnabari adhibere cuperunt, labores quidem pharmacopolarum minuentes, specificum vero cephalicum fato suo minime eripientes. Evanidam esse vim terrorum in partes a ventriculo remotiores supra vidimus: sique credendum sit, ea ad tenellas usque fibrarum cerebri pertingere plantagines, quem amabo producturi sunt ibi effectum? an sanguinis copiam in vasculis minimis & sinibus morantem felici conatu, propellent in vasa revehentia? an nimium lymphae cohibebunt affluxum? an cruxi sive spissiori sive fluidiori, sive rapidiori circulo vasa obstruenti aut distendenti, eorum usu prospici arbitrabimur? an motus spastici membranarum cerebri terreis conquiescent? an vero rectius, dum humorum tenuissimi ibidem sistere cogantur, atque pulverum moleculae majores sint ac minimorum vasculorum diametri, halitusque humorum, an non obstru-

obstructiones firmabunt aut producent? & nihilominus praeconceptis opinionibus de specifici cephalici efficacia persuasi, eodem usurpando pergitus? ita omnino vult autor ejusdem! (z) Nam specifici cephalici usus in praxi est notissimus in dolore capitis, epilepsia, convulsionibus omnis generis, passione hysterica, doloribus omnis generis, & alibi ita habet: vim quoque obtinet cordiale, unde in palpitatione cordis conducit; prodest quoque in febribus continuis, variolis, morbillis, commendatur quoque in colica. (aa) Verum dicit autor, notissimus est pulveris hujus usus, at an notissimus sit tantarum laudum effectus ratione esse qui nondum potuimus, neque usus data opera convicit. Sed obsecro, an non in praedictis morbis, contra quos specificum suum commendat autor, interdum moventibus, interdum sistentibus opus esse indicatur? contrarios ergo effectus ab eodem pharmaco sperabimus? Nos formolo hujus pulveris colori minime fidendum esse arbitramur. Ne vero injurii in Claris. Viri merita videamur, STAHLIVM exterritissimum loquentem audiamus: ego quidem, inquit, ut vera loquar, dicere non possum, me per omnem vitam a specifico cephalico sensibilem effectum observasse - - vidi quidem illud multoties usurpari, sed usurpare aliud est, prodeesse aliud. (bb) Sique quid prodesse possit laudatum specificum cephalicum, id a sulphure & mercurio cinnabari in haerente petendum esse volunt autores. Neutquam quidem sulphuri & mercurio in officinis & therapia locum invidemus, ast an in granis tribus vel quatuor, imo drachma integra cinnabarisi, largiori imo portione, ea lateat sulphuris & mercurii quantitas, ut tanti confidenter sperari valeant effectus, minime perspicimus. Nunquam certe pictorum instrumentis in praxi medica

D 2

prof-

---

(z) Oper. p. 739. (aa) ibid. p. 2. 54. (bb) in mat. med. p. 190.

proficiemus? Neque inquirimus, an liquor gastricus menstruum sit adeo generosum, ut aquæ forti, qua neque liquatur mercurius, substitui queat! certe cinnabaris manet cinnabaris, quo cunque alio menstruo adhibito, id linteal puerorum, & recrementa commonstrant adultiorum.

XXIII. Mallemus terreis neglectis, pro causis cephalalgiae diversis, jam vomitorium ordinare, jam evacuans per alvum propinare, jam pediluvia, jam venæ sectiones in vasis præcipue capiti proximioribus svaldere, jam opiatis succurrere, quietem tum corporis tum animi præcipere, abstinentias cibi & potus collaudare, & si quæ sunt hujusmodi alia: quibus longe felicius medebimur, ægrosque nobis devincimus magis, quam si eleganter rubello, auroque scintillante pulvifculo eos fatis suis reliquerimus. Videndum ergo sedulo, an capitis dolor sit idiopathicus? an simpaticus? an periodicus? quas personas & quo tempore & situ afficiat? a qua causa sit exortus. Jam

XXIV. Pleurisin, ejusque medendi rationem considerationi nostræ subjicimus. Quoties itaque febri acutæ aut continuae jungitur lateris dolor pectorius, lancinans, cum respiratione diffcili, tussicula sicca, siti & calore ingenti, appetitu ciborum prostrato, vigiliis continuis &c. pleuram, nec non subinde simul membranas pulmonis, inflammatam esse pernoscamus. Grave est hoc malum, in alios sæpe perniciosos morbos desciscens, multis exitiale. Pro causa agnoscit, dum quacunque opportunitate incalescimus, atque ita motu, sanguini, accelerationi inducto, subito aura recentiore suscepta, aut alio quoque modo, refrigeramur; omne denique quod inflammationi generandæ aptum est. Optima sanationis signa sunt, si calor remittit febris; si dolores mitius affligunt; si respiratio sit expeditior, si som-

si somno reficiatur æger; si excretio coctionis notas præ se ferat; si abscessus pone aures vel crura prodeant; si dolor lateris alium locum obsederit; si urina copiosior, subrubra, cum sedimento albo fluxerit.

XXV. Therapia huic malo convenientissima, est (cc) cista, larga ex vase majori, vulnera ampio sanguinis fusio (dd) ad usque doloris notabilem remissionem, aut prima signa deliquii, repetique venæ sectionis negotium oportebit pro symptomatum pertinacia atque recursu. Hoc peracto subito epithernata, foimenta calida, lateri affecto applicanda veniunt, sæpe renovanda. Vixtus sit diluens, laxans, mollis; medicamenta calida, liquida, magna copia simul deglutita; oxymel simpl. decocta demulcentia, emulsiones, olea, nitrum cum camphora, clysmata laxantia. Vitanda sunt omnia exsiccantia, æstum augmentia, obſtruēntia, incrassantia, calor lecti, foci, solis; potus spirituosi, cibi duriores, aromata. At si HELMONTIO, TACHENIO, WILLISIO, ET TMÜLLERO &c. obediendum fuerit, mandibulæ lucii pisces, dentes animalium, lapides cancrorum, crystal. mont. &c. ceu acidum pleuriticum inuentia ac abſumentia accommoda erunt remedia. CL. LVDOVICI (ee) pulvorem ex sanguine hirci, sulphure & ossibus lucii pisces in pleurisi etiam vene sectione pretermissa sufficere docet: atque mixturam simplicem cancrinos & corallinos pulveres, curationem claudere tradit. Pharmaciae & dispensatoria ad unum omnes mandib. luc. pis. dentes apri, lapid. perc. cancer. corallia, velluti specifica antipleuritica deprædicant, insons acidum accusantes. Legerent utinam attenta mente, quot quot horum vestigia sequuntur Medicorum statoris verba, ita sentientis (ff) qui acidum eruunt, non facile fieri pleuriticos.

D 3

Absint

(cc) SYDENHAM. p. 339. (dd) BOERHAAVE in aphorif. §. 890.  
(ee) inpharmac. p. 166 & 147. (ff) sect. 6. aphor. 33.

Absint ergo pulveres terrei, obstruendo quam referando aptiores.

XXVI. Indicationes veras attendere oportet: inflammationi scilicet subveniendum est, revellendo impetum sanguinis, attenuare lentorem ejus, laxare vasā. An vel unum ex his præstituros judicare liceat pulveres terreos? ne horum patroni affirmabunt. Si vero cuipiam displiceat, nos in pleuritidis curatione expectorationis non meminisse, id data opera nos prætermisssile fatemur, existimantes in summo discrimine versari eos, qui morbum hunc, sic dictis expectorantibus eliminandum putant. Hæc enim nunquam prospero fato eveniet, nisi humor stagnans, coctus, ut vocant, atque rejectioni idoneus fuerit, quod medicamentis usū consuetis in bronchiis pulmonis, ejusque & pleuræ membranis præstari minime credimus, fauces saltēm iisdem lubricari in experto habentes.

XXVII. Renum fabricam elegantissime a Clar. BELLINI descriptam novimus omnes; eo scil. artificio instructi sunt, ut licet corpus formare videantur duriusculum, nihilo minus undequaque canaliculis per exiguis constant, miroque ordine & textura arteriarum, venarum, lymphæque vasorum adornati sunt, ut totus eorum apparatus glandulam formet elegantissimam, lorio a sanguinis massa separando perque papillares carunculas, pelvim & ureteres atque vesicam transmittendo aptissimam, necessariam. Inflammari renes contingit haud fæpe, dolore calculum adesse mentiente. Internoscitur vero dolor a calculo oriundus, a dolore ab inflammatione proficidente, quoniam in calculo absit fere febris, dolor per intervalla intermitat, aut saltēm remittat, nisi angustatis ureteribus firmius impactus sit: in renum vero inflammatione febris adest continua, cum dolore totius

totius morbi decursu persistente &c. Et licet in aliis quoque humani corporis partibus calculosæ concretiones quandoque reperiantur, quoniam vero eæ se cum doloris sensu obscuro & vix sensibili manifestant, aut prorsus occulta, absque molesta perceptione latitant, de iis non sumus solliciti: partim quoniam vix, imo nullam, medelam admittunt, partim cum sint extra scopum meditationis nostræ, de calculo renali duntaxat occupatis.

XXVIII. Nascitur vero, more lapid. bezoardici, a stamine corporis terrestris omnino insolubilis, in loco impervio fabricæ renalis hæsitantis, atque crusta calculosa sensim sensimque orbium aut laminarum more se se applicantis, augeturque in molem nonnunquam drachmas pendentem. Supponit itaque lithogenesis eam renum conditionem, quæ elementa calculosa, id est, terrestres moleculas, in quovis homine semper præsentes, ob vasorum teneritudinem transmittere non valet, hinc moram eis imperat; hæret itaque terrestre corpusculum, nec titus huic alterum, huic rurus aliud, donec determinatam acquisiverit mollem, quæ resistentiam vasculi vincat, & exitum moliatur; unde emissaria, quibus impingitur, obstipat, distendit; quoque grandior, inæqualior, asperiorque superficie natus est, quoque angustiori diametro coarctatur, aut vasa rigidiora fuerint, eo & dolor exacerbatur atque increscit magis. Sed & alia signa, quibus se prodit renum calculus observanda veniunt: crus nempe illius lateris aut torpescit, aut stupet, aut nisi magno dolore non movetur; urinæ aut nulla: redduntur, aut cum ardore ingenti guttatum stillant, fangvineæ apparent, nec non cum sedimento arenoso, crasso, mucoso, pure, filamentisque remixa excernuntur; frequens eis est ruetus, & dum dolor est intensissimus, plerumque vomitus sequuntur; alvus adstrin-

adstringitur, nec nisi inter vehementes dolores atque tenemos perpetuos solvit. Nulla quidem ætas ab hocce tormento immunis est, rarius tamen pueros juvenesque, viros frequenter, frequentius adultos, & vel maxime decrepitos afficit. Ut vero omnia vitia in fene difficiliorem curationem spondent, sic hoc ipsum vix ullam promittit.

XXIX. Inter ea, quæ morbo huic vehementissime afflgenti, ceu antitoda & veluti singularis energiæ specifica, adhibenda vulgo eliguntur, absurdâ sunt omnia plura, inutilia plurima. Nolim referre juxta DEODATVM moschum terrestrem, juxta HERCVLEM SAXONIAE terebinthinam cum semine milii solis, juxta RVLANDVM aquam stillatitiam stercoris columbini, juxta SCHROEDERV M urinam hirci calidam commendari, &c. ad nos enim in præsenti sola remedia terrea spectant. Et vere apposite vetus habet proverbium, lupum non facile lupum comedere; eo tamen processit plebeja credulitas, ut calculos in homine natos calculis animalium atque mineralium confringi & expelli arbitrentur præjudiciorum mancipia; quasi terrea terreis imperio cederent, aut calculus calculus quasi sub malleo contereret. Ita HOEFFERVS (gg) atque SCHROEDERV S (bb) *calculum humanum ad atterendum calculum atque resolvendum excludendumque pro arcano servat.* HOFFMANNVS (ii) *lapidem nephriticum admirandarum virium vel gestatum vel intra corpus exhibitum, præsentaneum auxilium adferre atque arenulas per totius corporis habitum pellere perhibet.* Idem sentit cum KOENIGIO BOECKLVRVS, qui in lapide nephritico, vel saltem appenso, eximum præsidium collocant, *ut ob activitatis vehementiam eum deponere coacti sint quandoque gestantes.* Sunt quoque qui eundem marem & fami-

(gg) In Hercul. Medic. lib. 3. c. 9. (bb) lib. 3. c. 8.  
(ii) in Clav. lib. 3. c. 4.

& fœminam, priorem renibus, posteriorem vesicæ sacrum credunt. Neque commemorabimus incongruas miscelas, dum scil. lapides percarum, cancrorum, crystall. mont. testas ovorum, cochlearum opercula jaspidem & gemmas cum aqua petroselini aut saxifragia præparari, & in earundem aquarum consortio, emulsionis forma, exhibenda sudent. CROLLVS tamen inter omnes excellit veluti felicior arcanorum perscrutator, dum *omnia, que calculum pellunt, magico modo morbum, cui medentur, signatura denotari, ut crystal. filix, lapis calaminaris, judaicus, lyncis, hominis &c.* perhibet (kk) Nihil jam dicemus de lapide nephritico novo in agro Herbornensi prope Heidelbergam reperiundo, cui vis stringendi simulque laxandi fibras renales, & ita virtus calculum expellens tribuitur. At, quemadmodum materia generandi calculos in omni præsto est homine, nisi tamen vasa, sua dispositione in ejus generationem concurrerint, nunquam gignetur calculus; ita quoque, quamvis omnibus ferme terreis, virtus frangendi, solvendi, exterminandique calculos aureis etiam inscribatur literis, nunquam tamen eorum ope calculus cedet, nunquam eliminabitur e corpore, nisi hæc virtus vere eis insit.

XXX Indicat quidem calculus renum sui imminutionem & expulsionem, sed id negotii, incumbentis lapidosi pulveris pondere, quantumlibet pretiosi, aut aliunde magnæ autoritatis, nunquam perficitur. Ament hanc medendi methodum, quot volunt, gestent amuleta saxifraga, cumulent calculos calculis, nos omnem fiduciam in calculi medela in eo collocamus, ut vasa laxentur balneis, infuso largiore calide potato, clysmate lubricante, emolliente: ut dolores mitigentur oleosis emulsionibus, anodynisque atque ut

E

inflam-

(kk) Cit. a Tral. in Ex. rig. p. 284.

inflammationi occuratur. Vixit sit humidus, blandus, tenuis, modicus; potus tenuissimus tantummodo indulgeatur.

XXXI. Ita sentientes, minime credere valemus veram comminutionem calculi a terrestribus remediis, quantumvis aquis petroselini & saxifragae imbutis, expectandam esse, nisi prodigiose. Quomodo vero calculus humanus calculum in homine restituentem confringere queat, nullatenus appareat; quin magis existimandum putamus, si id medicamenti genus in corpore nostro circumferimus, eo ipso vacabimus hoc deplorabili affectu. Adstringere vasa terreis opinantur alii, atque ita calculum depellere: at vero, an non haec hypothesis in contrarium militat? adstringentia etenim tubulos arctabunt magis, transitum proinde difficiliorum reddent: sane ac si quis contenta pugno, ocyus excludere exoptans, digitos fortius comprimeret: quanto enim magis fibra adstringitur, tanto curtor, crassiorque redditur, unde diametro minori gaudebunt vasa, quanto potentiori vi adstringente medicamenta pollerent. Acidum demum alii calculos generare somniant, nos vero id ipsum tanquam validissimum calculos resolvens pro experto colimus. Interim sanguis, lympha, urina nihil continent quod acidum spiret, alcalicae enim sunt indolis: neque enim acida alimentis remixta, nostros humores in sui naturam convertunt, immo potius inhumorum nostrorum mutantur genium. Removendae ergo sunt hypotheses, quae artem obscurant, & non nisi dannis ærorum deserviunt.

XXXII. Morbus quem nunc aggredimur, juxta BOERHAAVE (11) tam mirabilis appareat, ut diis, dæmonibus, iræ divina, incantamentis & similibus causis, naturalibus majoribus, adscriptus sape fuerit. Nimur ob gesticulationes, inflexiones, distorsiones, curva-

(11) Lib. de cogn. &c curand. molib. §. 1072.

curvaturas, gyrationes membrorum corpore subinde humi prostrato & rigido, subinde hemicirculi instar inflexo & in aerea jaectato: ob motus demum mirandos, horrendos, vix exprimendos. Pueros aggreditur & fenens, mares & foeminas. Oculique distorquentur; loquela, motus voluntarius, sensus & memoria factorum recedunt; spumant fauces, dentes strident, stertunt, vociferantur, vultus color perit, tremunt & convelluntur artus, urina, fæces, semen profluant. &c. Varie accedit hoc malum: hos prosternit subito, illis adventum saum tristi manifestat nuncio; dum nimis mens errare incipit, sensuum accedit stupor, tenebræ obviant oculos, cor palpitat, lingua vacillat, tirubant pedes, gyratur vertigine, corruit miser homo. *Hic morbus (mm) magna ex parte longus esse solet, adusque diem hominis supremum, neque vita etiam periculosus, tametsi interdum, dum recens est, hominem tollit crebris, gravibusque accessionibus.* Viris familiarior esse consuevit quam foeminis, magis pueris novissime natis, minus senio confectis. In recenter natis deslinere solet, si protinus evomuerint, multumque aquosi excrementi ejecerint pusiones tenelli; processus vero ætatis plurimum pro hujus vitii depulsione confert. Nam pueris, fere post foeminæ consuetudinem solvitur, & puellis post orta menstrua; superato anno 20. perdurans solvitur raro; item si subito, crebro quis concidit, nulla accendentis mali sensatione prævia; pariter si ex frequentia morbi mens læsa est, & nervorum adfuerit resolutio, nec non si hæreditaria fuerit. Idiopathica raro, sympathica frequentius curam admittunt. Quid quid autem in enormi hocce affectu fieri videmus, versatur in mutatis variisque motibus musculorum: sive vero ex imperio voluntatis nostræ ad motus ordinarios sive ad insvetos determinantur

nentur musculi, sive sponte, aut prout hie loci sit, præternaturali ordine moveantur, constat eos moveri juxta copiosiores liquidi nervae influxus. Mutat autem liquidum nerveum: leges sui cursus ob varias causas afficientes sensorium commune, inque medulla cerebri præterordinarias hujus liquidii expressiones producentes. Hæreditarium esse hoc malum, propagatio ejusdem cum sobolis multiplicatione usque ad proavos regrediendo perhibet; atque congenitum, ex eo inclaret, si dum matres conceptionis aut gestationis temporibus aspectu aut imaginatione fortius hærente moventeque epilepsie ideas foverint, partus epilepticos edunt. Alias inter causas est cerebri quæque mala conformatio læsio, corruptio, ebrietas assidua, venus nimia, profunda meditatione, ira, terror, metus, omnisque violentia generi nervoso debilitatem inferens. In Pueris dentitio difficilis, lumbri, variolæ, lac nutricis depravatum. Effectus tandem epilepsie longius perdurantis memoriae sunt debilitas, mentis hebetudo, stultitia, corporis deformitas, paraly sis, apoplexia mors.

XXXIII. Si ergo a cerebri fabrica male ordinata, si hæreditarium congenitumque sit hoc malum, omnem forte medellam respuit; poroxylmorum tamen insultus mitigari possunt, suffitu graveolentium, sternutatione erthinis proritata, usione, puncturis, urticatione &c. In idiopathica & sympathica eadem ferme profutura censemus: venæ sectionem, purgantia, vomitoria, fonticulos, cranii perterebationem, opiate, anodyna, narcotica, anthelmintica, quæ nervos corroborant, aromatica, antispastica, potus chalybeatos, vina austera, & quæ pro varietate cause mali & subjecti conditione prudens suggererit ratio. Felices quibus longa febris, præcipue quartana, supervenerit, aliisque morbus diuturnior. Ex his patet vanitas omnium specificorum, quæ inanis jactantia contra

contra epilepsiam laudare consuevit. Ordinant hi specificum cephalicum, cuius supra mentio facta est; alii presidum querunt in pulvere marchionis, quem ex radice paeoniæ, sub certis constellationibus effosse, ebore, visco querno, unigula alcis, cornu cervi, coralliis rubris & albis, margaritis, & ne quid (forsitan pro fuco) desit, foliis auri conflari pernotum est. Sicut vero nulla appetet ratio, quam ob rem peculiariis spes in ulla eorum, e quibus lau. pulvis paratur, colloca-ri possit, ita econtra, eo potissimum largius assumto, incommodata sat gravia exorta fuisse observationibus constat. Sique paeoniæ quid insit, sane accendentium tot inutilium farragine, atque pondere quadruplo majore, totum suffocatur. Alius corda extollit talparum, pulveres vitales atque solares; carbones devorandos præbet aliis, in sic dicto pulvere nigro; aliis omnia hæc miscet, & cum aqua hirundinum aut passum propinanda tradit; aliis ungulam alcis gestandam & deglutientiam commendat; aliis ossa triquetra, craniumque humanum, sed pro foemina foemininum, pro mare masculinum requirit; dumque vix non in omnium craniis ossa triquetra adesse animadvertisimus, nos immunes fore ab epilepsia credi oportet incursis.

XXXIV. Arduum ergo hujus morbi negotium paucis indicationibus expediendum statuimus. Nam cum epilepsia inter morborum convulsivorum classem computetur, nec ad aliud morbi genus referri queat, oportet motus anomalous pacare, causam nimis replentem, vel evacuantem vel irritantem respicere, debilitati generis nervosi subvenire: quod supra memoratis fieri innuimus. Quis vero turbatam fibram muscularium actionem nervorumque, suo ordine restituiri terreo credat medicamento? quis carbonem aut hirundinum aquam adeo heroica virtute hunc morbum debellante

E 3 imbutam

imbutam esse persuadeat! quis prodigiosam gestatæ ungulæ alcis vim inter superstitionis signa non collocet? quisque male fabricatum læsumque cerebrum; atque nervorum cohaesionem terreis emendari præsumet; quis liquidi nervei affluxum terreis arcendum, aut abiisdem robur accedere nervis crederet? Ego facilius suffocari terris, quam curari, posse epilepticos afferro. Idem de colicis atque hystericis passionibus spasmodisque judicium esto.

XXXV. Jam febres in genere contemplabimus; & mox sub limine considerationis theoriam febrium; adversantes sibi offendimus suo quovis ævo medicorum principes. HIPPOCRATES (nn) vult febres plurimas a bilo fieri, præcipue continentem, quotidianam, tertianam, quartanam. GALENVS cum suis assecilis febrem fieri docuit, quando caliditatis native in igneum conversio fieret. Paracelsistæ febrem, morbum nitri sulphuris accensi, nominarunt. Helmontianis res est cum furibundo archæo. Cartesiani febrium ortum a conflitu & pugna particularum deducunt. Sylviani effervescentias & fermenta narrant. Stahlianii febrem salutare naturæ conamen salutant: quod SYDENHAM ad omnes extendit morbos. Hoffmanniani febrem in inæquali sanguinis nervorumq; motu constituant. BOERHAAVE febrem quidem esse frequentissimum morbum fatetur, at ejus esse abduam naturam judicat (oo) non vero prorsus ignorantem febris esse naturam dicit, sed ob infinitum causarum numerum, quibus dignitur, difficilioris esse indaginis rectissime antumat. Phænomena vero quibus febris omnis noscitur, hæc sunt: horripilatio, pulsus velox, calor vario febris tempore varius. Proque horum duratione, remissione, intermissione, genio, recursu, causarum & symptomatum societate variis

(nn) De natur. human. §. 27. (oo) lib. de cogn. & curand. morb. §. 558. & 559.

variis febris donatur epithetis: alia diaria, quotidiana, terriana, quartana, continens, continua, biliosa, ardens, putrida, lenta, maligna &c. audit. Nos dissentientes circa febrium theoriam animos conciliare non censemus hujus loci, atque febrimi dicimus esse præternaturalem sanguinis spirituumque motum, diætæ errorem, atque lentorem humorum, aut velociorem eorum cursum pro origine accusantem, sociam habentem inappetentiam, nauseam, capitis dolorem, cordis anxietatem, pulsus velociorem, frigoris atque caloris sensum, membrorum gravedinem, debilitatem &c. alia quidem, præter recensita, symptomata febiles comitantur insultus, at dicta omni febri communia, perpetua, & inseparabilia sunt. Supponit ergo omnis febris turbatum sanguinis lymphæque circulum, quod ex frigoris atque caloris eruitur successibus, horripilatione atque tremore membrorum, nec non æstu subinde longius perdurante, subinde citius evanescente. Atque ad hanc simplicitatem, vastissimam de febribus doctrinam, tot intricatam difficultatibus, reduci posse credimus.

XXXVI. Indicationes curatoriae sunt: lentorem capillaria obstruentem solvere, & ita resistentiam tollendo æquilibriū restituere, irritationem influxum copiosioris liquidi nervi sollicitaptem consopire, mitigare symptomata, consulere viribus vitae vietu, potu, febris genio & ægrotantis indoli accommodatis. Terrea quidem ad indicationem vitalem nihil omnino conferre, sponte in clarescit; symptomatum remissionem ad terrei pulveris exhibitionem minime sequi posse equidem liquet, atque supra terreorum impotentiam, debili præfertim, uti hic supponimus, ingestorum ventriculo, demonstravimus. An vero lentorem humorum eorumque tenacitatem in venis capillaribus hæsitantem, circuloque sanguinis resistentem, terreis solvi singemus? corruit hæc opinio

ex

ex supra dictis; ita pariter constat irritationem ingenere nervoso subortam, liquidum nerveum majori copia in tubulos nerveos impellentem, minime terreis pacari. Neque decernimus, an, si febris effectibus iracundi e. g. animi excitata fuerit, matris perlarum, vel cornu cervi pulvere cohibeatur? neque si abusus generosi copiosique potus febrim genuit, an conchilia citrata, lapides cancrorum, cum pauxillo nitri aliquisque bezoardicis fixis, ut vocant, dispellenda sit? Nedicam plurimas febrium, inflammationibus vel particularibus vel universalibus, imo & sanguinis diathesi suam, debere originem; nonne in hoc casu, humor errore circuli vasa impropria ingressus, progredi non valens, proinde stagnans, & sequente a tergo novi cruentis appulsa, vasa atterentis, distendentis, obstruentis, inflammationi originem, & hanc, febribus ansam dabit? rursum millies febres natas videris a sanctioriano perspirabili praepedito; anne huic fato opportunos judicare licet testaceos, osseos, terreosque pulveres? an iisdem arida, obstructa corporis reserabitur superficies? &c.

XXXVII. Atque ut paucis hanc considerationem finiamus contemplemur tot febrium causas & symptomata, frigoris febrilis atque caloris indolem, remissionem & recursum, pandiculationes, convulsiones, dolores capitis, vigilias, fitim, anxietatem praecordiorum, vomitus, nauseas, debilitates corporis &c. neque pigeat revocare quae passim tradita sunt, & fatebimur confutatas esse narratiunculas vanas, frustraque in terreis praesidium querere eos, quot quot iis febrium dominari opinantur insultibus. Ergo quandocunque a turbato humoris nervosi sanguinisque motu febris exorta fuerit, ea sudoriferis, diluentibus, aquosis, calidis, intus, foris adhibitis, laxando vel roborando fibras, vasa, viscera, removebitur. Si ab infarctu crudioris largiorisque alimeni, emeticum

emeticum mox primis accessibus propinandum, atque huic purgantia per alvum jungenda esse indicatur. Si ab inflammatorio viscido nata fuerit, diluentibus & incidentibus solvitur, fomentis & balneis tepidis, potibus largioribus ptisanæ, aquæ multæ, farinosæ, nitrosoe acidiusculæ; infusaque herbarum, jùlapiæ, hydromel, clysmatum frequentes injectiones probati sunt usus. Tandem roborantia, tonum viscerum restituuntia, omnem absolvunt paginam; stragulis autem minime opprimatur æger, neque calidore condatur loco, sed aër sit frigidiusculus, sèpe renovatus, vietus parcus, tenuis intermissionis saltem tempore exhibitus. Hæc de febribus in genere, pauca de malignis addemus.

XXXVIII. Malignarum febrium vel sola vox meticulosos de salute sua reddit ægrotantes; & non abs re, est enim id morbi genus funestissimum, brevi horarum spatio deleterium, adstantibus perniciosum, contagiosum. Prima mox accessione subitanea debilitate prosternit hominem absque causa manifesta, isque situ erecto, quin lyphothimia concedat, vix perdurare valet; difficulter & anhelose spirat, costis saltem, claviculis & jugulo obscure se se moventibus, pulmo interim gravi pondere sibi opprimenti videtur; vigiliae continuæ vires frangunt, capitis dolor, inquietudo, præcordiorum anxietas, ciborum fastidium, delirium, enervant; cutis arida, splendescens, tumida, oculi torvi, urina tenuis pauca, aut jumentorum urinæ similis; intus consumit calor, frigentibus extremis, fauces arescant & lingva, maculae purpureæ, livide, nigricantes descendant cutim; pulsus initio fortis, mox debilis, celer, durus; syncopes tandem placidam quietem mentientes, junctis subsultationibus tendinum atque convulsionibus & singultu mortem præfigiunt. Sangvis in vasis cadaveris dissecti, grumosus putrilaginofo liquamini

F

innatat,

innat, halitus fœtentes spargit, ventriculus, intestina cæteraque viscera spacelo consumta visuntur. Dissentient quam maxime inter se autores de genuina malignarum causa: misis vero eorum opinionibus, cum HIPPOCRATE lib. de nat. hum. sentiendum putamus, scilicet: quando ab uno morbo multis corripiuntur homines, eodem tempore causam ad id, quod communissimum est, & quo maxime omnes utimur, referre oportet, est autem hoc spiritus & aëris; quem inspirando trahimus. Neque dubitandum existimamus in aëre latitare virus hujuscemodi deleterium, id enim testantur post inundationes & conflictus bellorum fecutæ quasi semper febres malignæ, contagiosæ; id miasmata, quasi quot annis ventorum ope, ex ægypto, in vicinas translata regiones, malignas & pestilentiales febres excitantia, confirmant, atque ipsa aëris repurgatio luculenter prohibet. Plura de his testimonia RAMAZINI, BAGLIV, PROSP. ALPIN. WEPFERSV aliique recensent.

XXXIX. Fieri proinde arbitramur, ut aëris hujusmodi non respiratione saltem atque alimentis per tracheam & æsophagum suscepimus, sed & per cutis poros resorbentes subintrans, tenuissimarum fibrillarum nervearum liquida inquiet, fibras vellicet, irriter, eorum elasticitatem tollat, activitatem invertat, atque ideo humoribus liberum cursum interdicat, eos spissiores reddat, tenuiores consumat; vasa ergo obstrui necessarium est, indeque inflammations internas, putredinesque sphacelosæ oriri. Ergo febres malignæ consistunt in humorum diathesi phlogistica, vasorumque elasticitatis subitanea destructione, tandemque in putredinem terminantur. Novimus quidem pro caulfarum morborum diversitate diversa requiri remedia, at hujus morbi licet diversas causas assignent autores, eadem tamen illi tribuunt remedia, alexipharmacæ scilicet: ea vero duplicitis esse generis constat, alia spirito-

spirituosa sunt, alia terrea; spirituorum energiam, alibi utilis, in hoc morbo certe damnosam esse convicti dicimus: mittimus vero de iis tractare, terrea considerantes; *Bolus itaque Armenia, terra sigillata, C. C. lapid. cancer. bezgar. antim. dia-phor. gemmaque ceu cordiale; sudoriferum, absorbens acidum; venenum expellens; mirabile; nunquam negligendum; summa virtutis &c.* commendantur à pluribus. Cordalia plurimum solatii debilitatis ægris conferre nulli diffitemur, ast terrea hacce provincia donari posse prorsus contradicimus. Ubiunque enim debilitas occupaverit hominem subitanæa, secretionis spirituum officinam seu cerebrum cerebellumque male affectum esse pernoscamus, atque nervos & ex his composita, haud sufficiens, pro sui conservatione & aetione, liquidum haurire queunt, inde debilitati foboris fibrarum causa intellegitur. Ergo supponimus ob defectum secretionis sufficiens liquidi nervosi, flaccidos fieri nervorum villos, nervos, vas: infarctum deinde vasorum eo ipso sequi clarissimum est: unde cordis palpitatio, anxietas, sanguinis immeabilitas, & corruptio, humidioris partis consumptio. Jam vero cerebrum & cerebellum male affectum, secretionem lymphæ nerveæ impeditam, hujus affluxum in cordis musculofasciam fabricam parçissimum & inæqualem, cordis motum minus sufficientem, sanguinem in pulmonibus cumulatum, quantumlibet pretioso pulvere terreo emendari, instaurari, promoveri, augeri, resolvi posse, nulla prorsus appetet ratio: longe ergo minus in coagula cohærentem sanguinem naturali sue indoli reddere poterunt. Rectius cordalia dixerimus, quæ grata & copiosa effluvia de se spargunt; quæ odore jucundo & svavi reficiunt, quæ penetrantissimos & subtilissimos halitus fundentia per tubulos nerveos subito serpunt; qualia sunt aromata, herbae aromaticæ, flores, fructus,

cortices, aquæ ex his paratæ, olea, balsama, aceta, &c. intus sumta, odore attracta, extus applicata, suffitu, linimento, epithemate. Sudoribus ciendis longe imparia esse terrea supra evictum est. Virtutem acidum absorbendi eisdem largimur quidem, ast in malignis hoc fine salutariter exhiberi, minime concedimus. Venena iis fugare velle, fabulosum est; imo tot observationibus constat, terreos pulveres hoc fine propinatos nihil prorsus profuisse. Non quidem in ea ver famur opinione, ut omnium rerum adæquatas dari posse rationes credamus, multa enim sunt, quorum causæ & modus agendi nos latent, effectus vero minime incogniti sunt: ast de terreorum virtute adeo multiplici, præcipue alexipharmacæ, nec effectus patrocinatur. Nostra itaque medendi methodus in febribus epidemicis malignis in eo sita est, ut vires oxylime reficiantur, & conserventur, ut inflammationi minuendæ & destruendæ tempestive incumbamus, ut humoribus liberum fluxum conciliemus, eos in putredinem vergentes, ab ea arceamus, vasorum robori prospiciamus. Magnum forsitan remediorum apparatus sperabis L. B. ? & certe sane compendiosum, verum auro pretiosorem, omni laude superiore: acida nimirum; id fida & sincera experientia loquitur, a fæculis in hodiernum diem confirmata. Turcæ etenim in malignis, ipsaque peste succo limonum in omni juscculo liberalius instillato, fructis limonum ore masticatis, potu suo (scherbet,) immersis, se se felicissime tuerintur, ut teste HARRIS (pp) apud eos dicta morbi nonnunquam minorem hominum stragam facere soleant, quam mitem alias febrem iis in regionibus, in quibus graffatur doctrina. Id quoque Ægyptii, referente PROSP. ALPINO (99) norunt, dum in omnibus febribus pestilentialibus potionis ex aqua pura acido citri, limonum, berbe-

---

(pp) De morbis infant. (99) de medic. Ægypt. c. 1. & 15.

berberum, tamarindorum conficiunt: his æstum sedant & sitim, vires reficiunt, putredini resistunt. Id veteres magno in pretio servasse compertum est: dum ii, iisdem febribus, quas hodie malignas compellamus, syrupo de limonibus, acerofitatis citri, oxyfacharo, oxycrato, oxymelle &c. corrugendis institerunt. De iis, qui maria pernavigant, vix aliis, quam laudatis acidis, ipsoque aceto sibi prouidentibus, tanquam de re notissima, verba facere supersedemus.

XL. Aeris quoque provida cura habenda est; hic ergo fit recens, frigidiusculus, saepe renovatus, arte excitatus; potus diltiens, demulens, largiter haustus, aqua fontana, cum vino rhenano, succis horæorum, veluti citri, limonum, granatorum, ribium, rubi idei &c. oxymelle, syrupis ex fructibus acidiusculis; acetum ipsum; hæc non suspensa & parca manu administrata, sed liberaliter & crebrius ingurgitata, tutissima, verissima & summa sunt antiphlogistica, sanguinis fluxum instaurantia & crasim, vires reficientia, nervis amico stimulo peraccommoda, putredini resistentia, sana denique & sincera, non hypothetica experientia doctissimorum Medicorum comperta. Absit lecti calor, spirituosa, theriacalia, terrea: quæ symptomata cumulant, morbum deteriorem reddunt, mortem accelerant. Alvus, nisi leni saltē clysmate, non follicitanda est: emeticum vero, nisi mox sub morbi exordiis contagio propagati, viribus nondum penitus prostratis, omnino exulet. Plura de acidorum & aceti præcelentia BOERHAAVE (rr) SYLVIVS, DIEMERBROCK aliisque.

XLI. De analepticis agonizantibus cœu singulare confortans exhiberi solitis, aqua nimirum destillata, matre perlarum, lapidibus cancerorum &c. ac foliis auri paratis, nihil commemorabimus. Imo Erysipelas omnesque inflammationum

species, exanthemata, variolas, morbillos, purpuram, pétéchias, dentium dolores, catarrhos, convulsiones, dysenterias, vermes, pluresque alios affectus terreis discuti, resolvi, maturari, mitigari, persanari frustra conservasse afferimus. Partus facilitari, abortus præcaveri, affectibus animi gratis prospici terreis, constanter profitemur. De his vero singulis particularius agere superfluum ducimus, dum terreorum inefficaciam ex supra recensitis sincero veritatis contemplatori abundantissime patere confidimus.

XLII. Neque vero prorsus inepta medicamenta terrea, sed scopo absorbendi ea omnino exesse satisfacere, declaramus. At si iis acidum absorbere atque destruere intendimus, cur conchilia, lapid. cancror. corall. succo citri in eorum præparatione imbuimus? cur conchas aceto macerari præcipimus? an acidum absorbet acidum? tantundem ac dum imaginarie calculum calculo solvere nituntur. Videtur enim, quod quanto magis, toties nominatae terræ damnatae & capita mortua acido saturata fuerint, antequam corporiingerantur, eo minus acidum intra corpus sumta sorbebunt. Sint ergo, & omni quidem jure, terrea, remedia absorbentia acidum, sed absorbentium (ss) seu sic dictorum precipitantium exhibitio non parum providentia desiderat; sub ventriculi enim attonia, si is viscidorum colluvie scatet, & salsi magis quam acidi ibi berent humores, eos plus nocuisse quam profuisse observatum est. Idem confirmant testimonia ETTMÜLL. ALBERTI, aliorumque.

XLIII. Ut ergo terrea vim absorbentem pro voto explent, requiritur, ut immediatus horum cum acido sit concursus; atque cum ea in ventriculum saltem & canalem intestinorum agere posse demonstraverimus, cavendum summe erit, ne ibidem stabulante viscido, tenaci & glutinoso humoris copu-

(ss) HOFFM. Dis. de benign. remed. abus. & noxa.

copulentur. Nunquam vero præstantiores exertuisse effectus providus terreorum usus visus est, ac quidem in tenellis, quorum morbi plures ab acido primarum officinarum nascentur. Sed hac de causa non eandem necessitatem in adulteriorum morbis, alio victus & vîte genere utentium, supponere licet, quasi proiectiores easdem, ac infantilis ætas, morborum causas constanter agnosceret. Prosunt itaque appositiissime pueris, in quorum ventriculis acidum adesse potissimum a lacte depravato nutricum, aut aliis simul ingestis, ut dulcibus & saccharatis, proveniens, est quam verissimum. Quis enim alvinas fusionem fœces acidum nidorem spar-gentes, quis ructus acidos, vomitus caseosos aliunde quam ab acido derivari suspicari vellet? vix certe aliam torminum atque convulsionum causam in pueris quis accusabit, ac quidem acidum spontaneum primarum viarum. In his ergo bellandis remedia terrea summos pollicentur effectus.

XLIV. In adultis pariter absorbendi munere funguntur terrea, modo vere de acidi præsentia convicti simus. Hypochondriaci proinde sumnum ab his sentiunt levamen; nam sœpe sœpius acidarum cruditatum congeries in intestinorum tractu spasmos generat, atque flatuum turmæ mirum in modum intestina tendentes, viscera vicina comprimentes, eorundem actionem inhibentes, turgescientiam maxime in vasis sanguiferis induentes, enormiter in misellos defœvunt. Cardialgiae vitio laborantes insigne velocissimumque absorbentibus sentiunt auxilium, sive ea ab acido putrescente, sive a pingvi rancido orta fuerit. Nec minus Cholera, non tam ab hypochondriorum quin cardialgiae vitiis causa-ta, aut frequenti fructuum horæorum, præprimis immaturorum, copioso esu proritata, terreis prætentissime placatur. Non vero his solis insistendum est; sed cum, ubi quis  
acido-

acidorum vel acescentium alimentorum copiam ingesserit, nec simul talia deglutienda junxerit, quæ acidum infringere queunt, si præterea vires ventriculi langvent, protinus assumta in corruptionem acescentem desciscant, sique bilis defecerit, in ejusmodi subiectorum ventriculis saburra acida congetetur, in molestissimos sane spasmos erumpens, subito acida colluvies in primis viis restitans invertenda est, quod omnium optime remedia terrea præstant. Démum remediis tonicis, quæ spasmos domant, atque quæ excretiones nimias moderantur, vel obstruktiones tollunt insitendum, lenique cathartico alvus movenda. Indicatissima itaque sunt terrea, in iis morbis qui acido in primis viis moranti, originem debent. Præstat vero tunc iis uti, quæ vera virtute absorbendi pollent, quæ nullo artificio destructa sunt, quæque noxii effectus suspicione carent: sufficient itaque præ innumeris aliis, lapides cancerorum & mater perlarm; quæ, dum acidum primas vias obsederit, omnem merentur laudem. Proderit vero, imo necessarium erit, moderata saltē dosi pulveres terreos præscribere, non ad cultri cuspides pro placito sumentium atque arbitrio abutentium, plura efficacius prodesse, opinantium, relinguere. Tandem blanda abstergentia subjungere oportebit, ut horum usu, motu excitato intestinorum, impediatur, ne forsan pertinacius valvulis ac villis intestinorum inhærentes, infastos producant eventus.

XLV. Supereft adhuc, qua nimirum de causa universæ morborum diversitati terrea ceu antitoda universalia opponi sverint? néque diu disquirendum est, nam unicam morborum omnium causam putantibus, compendiosa sanè auxiliorum præsidia sufficiunt: unicum itaque acidum omnium morborum originem, unico remedio terreo extir-

extirpandum esse credunt. At quemadmodum veritati minus est consentaneum cum TEICHMEYERO (tt) sentire, maximam morborum partem tum chronicorum tum acutorum ab acido coagulante & corrodente originem ducere; atque cum ETT-MÜLLERO (uu) ab acido in sanguine coagulationes & grumescencias, fermentationes nunc imminutas nunc depravatas; ab eodem lympham inquinante dolores partium, coagulationes succorum in scirrhos, qui ex effervescentia facile abeunt in cancerum; ab eodem acido succum pancreaticum inquinante termina, intestinorum excoriations, in stomacho famem caninam -- ori. Item podagrorum nodos, venereorum topbos, calculos. Atque (xx) acidum esse tantum non omnium morborum fontem & originem primam. Sicut, inquam, haec minus veritati consentanea, sed hypothesibus falsis innixa sunt, ita quoque minus recte rationi consentit omnibus morbis per terrea remedia mederi posse. Utraque haec hypothesis vana est, precaria & perversarum idearum partus monstrosus. Unde merito miratur BAGLIVI dicens, putare aliqui morbos omnes ab acido produci & omnes pariter per alkalina remedia curandos esse, hoc medendi genus utpote facillimum, & brevi dierum spatio a rudi quaque muliercula etiam addiscendum, praeterea hodie invaluit. Sed ita placet hypothesium amatoribus, ut, autoritatum cæco amore singula quæque veluti ex tripode sacra colant, Nunquam terrea eam adepta fuissent gloriam, nisi præjudiciorum vanusque aliorum ita sentientium amor, ultra meritum ea evexisset. Severe sed juste HELMONTIVS in eos invehitur qui creduli nimis in verba & opiniones jurant aliorum, dum (yy) pigrum omnino & ingenerosum habendum id genus

G

(tt) In Chemia. p. 179.

(uu) Instit. medic. p. 11. c. 2.

(xx) loc. cit. §. 20. &amp; 21.

(yy) Tr. a se de animæ ad morb.

*id genus medentum dicit, quod ex alienis tantum commentariis  
sapere cupit, & assentire quam indagare mavult.*

### Corrigenda.

Pag. 8. lin. 21. lege elangvescunt. pag. 12. lin. 24. l. sesquipedalibus. pag. 15. lin. 18. l. cinnabarin. pag. 19. lin. 16. l. langvescet. pag. 22. lin. 9. l. perseverans. pag. 24. lin. 7. l. validissimum. ibid. lin. 8. l. quorundam. pag. 25. lin. 2. l. sentiendi. ibid. lin. 27. l. duræ. pag. 26. lin. 13. l. parantur. ibid. lin. 18. l. pharmacopolarum. pag. 27. lin. 23. l. inhærente. pag. 28. lin. 3. post mercurius *adde* cinnabari incrustatus. ibid. lin. 4. *dele* alio.  
Cætera B. L. corriget.




01 A 6509

ULB Halle

002 931 249

3







DISSE<sup>21.</sup>RTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**ABVSV ET INEFFICACIA  
TERREORVM**  
QVAM  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
AVTORITATE  
SVB DECANATV  
VIRI EXCELLENTISSIMI  
**CAROLI AVGVSTI à BERGEN**  
PRO GRADV DOCTORIS  
ET PRIVILEGIIS HVIC DIGNITATI COMPETENTIBVS  
LEGITIME OBTINENDIS  
IN REGIA VIADRINA  
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SVBMITTET  
**FERDINAND ERNST LVDECI**  
IGLAVIENSIS MORAVVS  
MDCCXLIII. DIE VII. NOVEMBRIS

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,  
Litteris PHILIPPI SCHWARTZII, ACAD. REG. TYP.